MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-15

AUTHOR:

MALZAN, WILHELM

TITLE:

DE SCHOLIIS EURIPIDEIS QUAE AD...

PLACE:

DARMSTADTIAE

DATE:

1908

Master Negative #

93-81265-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Malzan, Wilhelm, 1883-
De scholiis Euripideis quae ad res scaenicas et ad histriones spectant ... Darmstadtiae, Roether, 1908.
35 p. 22½ cm.

Thesis. Giessen.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/7/93 INITIALS Emil

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De scholiis Euripideis

quae ad res scaenicas
et ad histriones spectant

scripsit

Guilelmus Malzan
Gissensis.

Darmstadtiae MCMVIII
Typis officinae de E. Roether.

no. 1

De scholiis Euripideis

quae ad res scaenicas et ad histriones spectant.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine Gissensi

rite capessendos

scripsit

Guilelmus Malzan

Gissensis.

Darmstadtiae MCMVIII

Typis officinae de E. Roether.

Rettulit ad philosophorum ordinem

Ericus Bethe

23. V. 1906.

I.

De scholiis Euripideis disputaturi sumus et de iis praecipue, quibus qua ratione Euripidis tragoediae post poetae mortem ab histrionibus scaenae commissae sint, ab veteribus criticis nonnulla egregie observata videntur. Neque nos primi hoc consilio scholia omni modo decurtata et ad vilem exilitatem redacta perscrutati sumus. Etenim primus in universum de tragicorum scholiis luculentissimam edidit commentationem Adolfus Trendelenburg, qui in dissertatione sua (Grammaticorum graecorum de arte tragica iudiciorum reliquiae, Bonnae 1867) in scholiis et tragicorum et Homeri innumeras observationes inveniri ostendit et cum Aristotelis de arte poetica praeceptis consentientes et pendentes ab eius doctrina, ita ut quae Aristophanes Byzantius secundum normam Aristoteleorum praeceptorum interpretationem exercens protulit, in nostra scholia pervenerint Didymi opera, Aristophanis etiam in aliis sectatoris. Cum Trendelenburg de tragicorum poetarum scholiis solis quaestiones instituerit, Weissmann octo abhinc ante annis hanc rem uberius testimoniisque accuratius collectis tractavit ita tamen, ut dissertationem, quam inscripsit ille „die szenischen Anweisungen in den Scholien zu Aeschylus, Sophokles, Euripides und Aristophanes und ihre Bedeutung für die Bühnenkunde“ (Bamberg 1899), si iudicium proferre licet, scholiorum potius catalogi quam commentationis de scholiis scriptae speciem praebere iudicemus. Weissmanno scilicet id summo erat incommodo quod parum respexit Wilamowitzii opus doctum Juppiter ac laboriosum, quod inscripsit ille „Euripides Herakles vol. I. Einleitung in die attische Tragoedie 1889“, in quo libro, quem coniunctis demum multorum, non unius studiis crederes perfici posse, hic illic a viro doctissimo esse erratum quis est qui miretur? Est autem in Wilamowitzii libro iudicium de Aristophane tragicorum interprete, quod qui penitus perspexerit cavebit, ne probet. Atque ex hoc quidem initium liceat facere disputandi.

Aristophanis Byzantii et interpretationis et recensionis criticae reliquiae servatae sunt in scholiis Euripideis, quoniam criticus ille coram studiosis adulescentibus veterum fabulas in Museo interpre-

tatus est. Quo fit, ut uni ex discipulorum numero, Callistrato, in scholiis ad Euripidis Orestem adscriptis interpretationis specimen unum et paucas lectiones varias[1]) debeamus, cuius commento non sine voluptate Didymum usum esse in commentariis verisimile est. Atque Didymus certe Aristophaneas lectiones interpretationesque sive ex ipsis commentariis eius sive ex Callistrati hypomnemat ibus petitas in scholiastarum usum tradidit. Ex Aristophanis autem tragicorum commentario inter alias adnotationes una quoque servata tenetur in schol. Orest. 1286, quo fabulae loco Electra in scaena relicta de Oreste et Pylade in aedes ad Helenam interficiendam ingressis timore perterrita haec exclamat:

οὐκ εἰσακούουσ' ὦ τάλαιν' ἐγὼ κακῶν.
ἆρ' εἰς τὸ κάλλος ἐκκεκώφωται ξίφη;

scholia (p. 214, 15, Schwartz):

Ἀριστοφάνης γράφει „ἐκκεκώφωνται ξίφη“. σημαίνει γὰρ ὅτι εἰς τὸ κάλλος Ἑλένης ἀποβλέψαντες ἀνεπαίσθητοι ἔμειναν καὶ εἴασαν τὰ ξίφη, quae verba a Wilamowitzio sic accipiuntur: „Aristophanes rechtfertigt eine Lesart durch Berufung auf Stesichorus, der die von Euripides gewollte Situation erkläre“ (151) et in adnotatione (151, adn. 58) huic scholii interpretationi haec addit: „Das erhält erst eine Pointe durch die andere Fassung (l. 6) *ἆρα εἰς τὸ Ἑλένης κάλλος βλέψαντες οὐκ ἐχρήσαντο τοῖς ξίφεσιν· οἷον καὶ Στησίχορος ὑπογράφει κτλ.* At effugit virum doctum ad hos Euripidis versus recte intellegendos varias interpretationes a criticis veteribus prolatas esse, quae mire quidem commixtae et confusae in scholiis nostris tamen ita discerpi possunt, ut tres in universum sententias deprehendas: Atque primum quidem grammaticus quidam *τὰ ξίφη* vocem pro subiecto accipiendam et verbum *ἐκκεκώφωται* singulari numero adnectendum censuerat (cf. p. 214 lin. 10—12, 17), deinde nescio quis ab ea sententia ita discesserat, ut ab supplendo quodam subiecto ex. gr. ab *οἱ ἄνδρες* verbum *ἐκκεκώφωνται* plurali numero positum dependens faceret, cuius viri sententiam satis superque

[1]) Praeter schol. Eur. Or. 1287 Aristophanis nomen occurrit in schol. Or. 488, 714, 1038 (Nauck Aristoph. Byz. frgm. 1848, 62 sq.); ceterum e schol. Or. 1038 elucet coniecturam Aristophanis per Callistratum solum ad Didymi aures pervenisse: *γράφεται καὶ δόμον . οὕτως γοῦν καὶ Καλλίστρατός φησιν Ἀριστοφάνη γράφειν.* Callistrati unius mentio fit in schol. Or. 314, 434, neque casu factum est, ut ipsis in scholiis ad Orestem et Aristophanes et Callistratus laudentur. Itaque recte iudicaverunt ii qui per Callistratum in scholiorum corpus pervenisse censuerunt, quaecumque nomine seu ipsius seu Aristophanis seu amborum denique vides notata. (M. Schmidt Didymi frgm. 274; Wilamowitz l. l. 151).

in scholiis expressum legis (quater, l. 6—9, 12—14, 15—16, 18—19), denique tertius quidam a voce *τὰ ξίφη* pro subiecto posita regnatum fecerat verbum *ἐκκεκώφωνται*, qualis usus numeri pluralis exemplo Homeri firmatur. En habes huius critici verba [l. 14]: *ἐκκεκώφηνται ὡς* [B. 135] „*σπάρτα λέλυνται*“. De aliorum autem criticorum interpretatione hunc addimus scholiorum conspectum:

I. *τὰ ξίφη* pro subiecto accipiunt hi:

10—12. *ἐὰν ᾖ ἐκκεκώφηται ἄνευ τοῦ ν, ἔστιν ὁ λόγος· ἆρα μὴ καὶ τὰ ξίφη τῆς Ἑλένης ἀγασθέντα τὸ κάλλος ἀνεπαίσθητα καὶ ἀνενέργητα γεγόνασιν.*

17. *ὁ δὲ λόγος· ἆρα μὴ καὶ τὰ ξίφη τῷ κάλλει νενίκηται καὶ διαμεμάλακται.*

II. *οἱ ἄνδρες* subiecti loco supplent hi:

6—9. *ἆρα εἰς τὸ τῆς Ἑλένης κάλλος βλέψαντες οὐκ ἐχρήσαντο τοῖς ξίφεσιν· οἷόν τι καὶ Στησίχορος ὑπογράφει περὶ τῶν καταλεύειν αὐτὴν μελλόντων· φησὶ γὰρ ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτοὺς ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν.*

15—16. *Ἀριστοφάνης δὲ γράφει· ἐκκεκώφωνται ξίφη· σημαίνει γὰρ ὅτι εἰς τὸ κάλλος Ἑλένης ἀποβλέψαντες ἀνεπαίσθητοι ἔμειναν καὶ εἴασαν τὰ ξίφη.*

12—14. *ἐὰν δὲ ᾖ ἐκκεκώφηνται ἐπὶ τῶν περὶ τὸν Ὀρέστην ἀκουστέον. ἆρα μὴ διὰ τὸ κάλλος τῆς Ἑλένης ἀνεπαίσθητοι ἔμειναν καὶ εἴασαν τὰ ξίφη.*

18—19. *ἐὰν δὲ ἐκκεκώφωνται ἐπὶ τῶν περὶ Ὀρέστην ἐκδεκτέον ὅτι ἐκκεκώφωνται αὐτοὶ πρὸς τὸ κάλλος καὶ εἴασαν τὰ ξίφη.*

Apparet varias illas quaestionis solvendae rationes in commentario certe Didymi[1]) collatas fuisse. Atque ex hac duplici scholiorum interpretatione praecipue nostra interest ea, quae pluralem verbi numerum probandum ac subiectum quoddam velut *οἱ ἄνδρες* supplendum esse vult. Sicut autem alter interpres ad fulciendam sententiam eorum, qui pluralem verbi numerum

[1]) Audiantur etiam ii, qui ex alio Aristophanis libro haec desumpta esse censent. Etenim Aristophanes *λέξεις* quoque *Ἀττικὰς* collegit a Didymo in lexico tragico non semel adhibitas (Cohn in Wissowae Encyclopaedia V. 463) ubi videlicet locus erat quaerendi, utrum *ἐκκωφάω* an *ἐκκωφόω* forma vera Attica esset.

ἐκκεκώφηνται scripserunt, Stesichori locum huic Euripideo consimilem extricavit (apud Stesichorum enim item non sermo est de gladiis sed de hominibus Helenae pulchritudine stupefactis), ut huic sententiae fortasse aliquid auctoritatis adderet, alter interpres ex critica Euripidis editione Aristophanis Byzantii variam lectionem ἐκκεκώφωνται recepit, unde vides pluralem numerum verbi probatum esse ab Aristophane, qui tamen pro vulgari lectione ἐκκεκώφηνται (ab ἐκκωφάω derivatum) ἐκκεκώφωνται (quod ab ἐκκωφόω originem ducit et apud Platonem occurrit) poni maluit. Itaque necesse est pronuntiemus, Aristophanem verbum ἐκκωφόω Euripide dignius putasse, qui tamen, num et de numero seu singulari seu plurali hic verba fecerit prorsus incertum est. Quae si recte a nobis disputata sunt Wilamowitz specie falli videtur, qui verba lineae 15 σημαίνει γὰρ ὅτι εἰς τὸ κάλλος Ἑλένης ἀποβλέψαντες ἀνεπαίσθητοι ἔμειναν καὶ εἴασαν τὰ ξίφη Aristophanis esse opinetur; neque enim Aristophanis sunt sed nescio cuius critici qui hisce verbis Aristophanem eorum interpretum gregi inserere voluit, qui pluralem numerum desiderari consilio poetae censebant. Criticus videlicet minus curans ad quam praesentis formam Aristophanes hoc verbum redegerit, illud egit, ut et ab critico vetustatis celeberrimo pluralem numerum probatum esse ostenderet. Quo factum est ut verba σημαίνει γὰρ . . . usque ad τὰ ξίφη ad verbum paene repeteret ex alio loco (l. 12, 13) ubi ad ἐκκεκώφηνται i. est pluralem numerum fulciendum allata erant. Itaque pensitatis omnibus sententiam sic dicimus de Aristophane nihil aliud adhuc constare nisi quod ἐκκωφόω verbum Euripide dignius putavit. Quodsi vero verba σημαίνει ὅτι et quae sequuntur a critico illustri recte abiudicavimus, iure id quoque statuemus locum illum, ubi Stesichorus citatur, qui Euripidis rationem ac consilium illustraret, Aristophani Byzantio his quae adhuc prolata sunt argumentis ascribi non posse neque recte sibi persuasisse Wilamowitzium (p. 151): „Aristophanes rechtfertigt eine Lesart durch Berufung auf Stesichorus, der die von Euripides gewollte Situation erkläre“. Quo autem argumentationis fundamento labefacto cetera quoque, quae inde exorsus conclusit vir doctus, ruant necesse est: „Unzweifelhaft gehört ihm dann auch eine andere Stelle, wo ebenso Stesichorus die Absicht des Euripides erläutert schol. Orest. 269 (126, 1 Schw.): Στησιχόρῳ ἑπόμενος τόξα φησὶν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Ἀπόλλωνος. ἔδει οὖν τὸν ὑποκριτὴν τόξα λαβόντα τοξεύειν. οἱ δὲ νῦν ὑποκρινόμενοι τὸν ἥρωα αἰτοῦσι μὲν τὰ τόξα, μὴ δεχόμενοι δὲ σχηματίζονται τοξεύειν. Etsi illud de Stesichoro testimonium (schol. Or. 1287) recte a Wilamowitzio Aristophani ascriptum esse concedamus (sed multum abest,

ut id concedamus), num Aristophanem etiam huius scholii auctorem esse credere licet, ubi idem Stesichorus ad Euripidis consilium explicandum laudatur? Ceterum Wilamowitz ipse (l. l. 151, 59) confitetur etiam in schol. Or. 249, ubi fabularis historia enarratur, et in schol. Or. 46, ubi de fabulae loco disputatur, Stesichori testimonium proferri. At ut vir doctus adnotationes illas ad Aristophanem referre dubitat, quoniam praeter alios Dionysius ὁ Κυκλογράφος[1]) de fontibus ab Euripide exhaustis scripserit (cf. schol. Or. 995), ita nos nostro iure schol. Or. 269 certo cuidam auctori — de Dionysio illo aut de Asclepiade Tragilensi poterat cogitari — tribuere veremur, Aristophanis Byzantii esse negamus. Ac mehercle non parvi erat aestimandum, si re vera schol. Or. 269 Aristophanis esset. Histriones enim, quam non poetae consilia respexerint, vituperantur in scholio illo quod si ad Aristophanem esset revocandum, recte iudicasset Wilamowitz, qui in illo libri sui capite ab Aristophane Byzantio scaenae Alexandrinae mores et instituta in fabulis explicandis adhibita esse contendit.

At quamquam adhuc desunt argumenta, quibus haec splendida sententia evincatur, tamen unum restat argumentum quod videtur gravissimum: schol. Eur. Hipp. 171; quo ex scholio si Aristophanes scaenae aetatis Alexandrinae atque histrionum agendi consuetudinis iudex evaderet, Wilamowitzii coniectura magnopere fulciretur. Itaque schol. Hipp. 171 diligentius in censum vocemus necesse est.

Chorus (v. 170) indicat se Phaedram eiusque nutricem ex aedibus venientes videre:

ἀλλ' ἥδε τροφὸς γεραιὰ πρὸ θυρῶν
τήνδε κομίζουσ' ἔξω μελάθρων

et paulo post nutrix ipsa narrat se Phaedrae obsecutam illam ex aedibus extulisse, ut aegrota domina aere ac luce frueretur: v. 181 sq.

δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι
τάχα δ' εἰς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν.

Ad versum 171 scholiasta adnotat Aristophanis inventis usus haec: τοῦτο σεσημείωται τῷ Ἀριστοφάνει ὅτι καίτοι τῷ ἐκκυκλήματι χρώμενος τὸ ἐκκομίζουσα προσέθηκε περισσῶς, quae verba Wilamo-

[1]) Num Dionysius de Eurip. fontibus scripserit, schol. Or. 995 non satis clare docet: ἀκολουθεῖν ἂν δόξειε τῷ τὴν Ἀλκμαιωνίδα πεποιηκότι εἰς τὰ περὶ τὴν ἄρνα, ὡς καὶ Διονύσιος ὁ κυκλογράφος φησί . . . Quae verba sic accipio: haec quam Euripides tractavit narratio iam in Alcmaeonide legitur, unde Euripides hausit; scriptam vides illam narrationem et in Dionysii opere. Certe D. hoc narravit in fabularis historiae compendio. An tu putas scholiastam, si iam apud D. scriptum invenisset Euripidem in hac re ex Alcmaeonide hausisse, tam pavide dicturum fuisse: ἀκολουθεῖν ἂν δόξειε?

witz, si quidem recte eius adnotationem intellego (153, 64), sic interpretari vult: ii, qui Aristophanis Byzantii temporibus Hippolytum Euripideum scaenae committebant, tum cum versus 170 a choro pronuntiatus est, eccyclemate usi Phaedram nutricemque ex interiore domus parte in scaenam emovebant, ita ut, in eccyclemate posita, Phaedra in cubiculo maneret. Quare Aristophanes Euripidem vituperat, qui Phaedram ex aedibus efferri dicat (v. 170 et 178 sqq.), quamquam machinam illam adhibuerit. Fatemur et hoc Wilamowitzii commentum nobis non placere. Neque enim nobis possumus persuadere histriones Aristophanis aequales, quamquam eccyclemate post versum 170 usi sint, tamen versus supra excriptos pronuntiavisse. In ridiculam enim partem abitura fuisset Phaedra illa et eccyclematis usu in cubiculo retenta et secundum nutricis verba ex aedibus emota — neque quemquam spectatorum hae res sibi oppugnantes effugissent. Accedit, quod haec machina, si hoc iam loco ea usus esset poeta, relinquenda erat usque ad v. 720 et magno erat impedimento iis quae in scaena agebantur; quod ipse concedit Wilamowitz (Griechische Tragödien übersetzt v. W. 1901, 180). Itaque credamus necesse est Aristophanem haec non ita ut scribit acta vidisse in theatro sed in cubiculo sedentem excogitasse. Quod firmatur altera eiusdem scholii memoria, quam B. servavit: *τοῦτο σεσημείωκεν Ἀριστοφάνης ὅτι κατὰ τὸ ἀκριβὲς τὸ ἐκκύκλημα τοιοῦτον † ἐστὶ τῇ ὑποθέσει. ἐπὶ γὰρ τῆς σκηνῆς δείκνυται τὰ ἔνδον πραττόμενα, ὁ δὲ ἔξω προϊοῦσαν αὐτὴν ὑποτίθεται.* Nil aliud igitur Aristophanes nota critica huic versui adpicta significare voluit nisi hoc: ex usu tragico expectamus hic eccyclema, sed repudiavit poeta. Effugit autem criticum Euripidem iam inde ab anno 438 huic machinae quantum poterat pepercisse propter rudem eius formam (Bethe Prolegomena 105), neque sensit, quam admirabili sollertia hoc loco poeta eccyclematis usum vitaverit[1]), cum Phaedram, feminam aegrotam et amore percussam aëra desiderantem induceret (Bethe l. l. 109).[2]) Ceterum sub corrupto illo *τοιοῦτον* latet *ἐπιτήδειον* vel tale quid ita ut sensus evadat: secundum regulam eccyclema aptum est huic argumento, quippe cum interna in scaena monstrentur.

[1]) Quae cum exponam, supervacaneum esse putavi sententias de hoc loco a Weissmanno (p. 26) Trendelenburgo (p. 49) Schradero (de notatione critica a veteribus grammaticis in poetis scaenicis adhibita diss. Bonn, 1863, 47) refutare.

[2]) Propter similitudinem scholii Hipp. 171 Carolus Lachmann (in Mus. Rhen. vol. I, p. 317) etiam schol. Alc. 234 *οὐκ εὖ. κατα γὰρ τὴν ὑπόθεσιν ὡς ἔσω πραττόμενα δεῖ ταῦτα θεωρεῖσθαι* Aristophani tribuendum censuit.

Sicut in scholio Hipp. 171 Aristophanem B. doctissimum virum novimus, qui multis nostratibus philosophis doctisque de vita cotidiana paene nihil scientibus consimilis inter quattuor parietes scrinia evolvere satis habet, ita in fabulari illa narratione Vitruvii (VII. praef. cf. Welckeri Griech. Tragiker 1841, III., 1242, 15) idem vir ingenti eruditionis copia ornatus apparet qui, ut ait V., summo studio cotidie omnes libros ex ordine perlegit.

At una gravissima res obstat nostrae sententiae Aristophanem in poetis interpretandis scaenae usum non respexisse, argumenta fabularum dico Aristophanis nomine pleraque ornata. Uno horum argumentorum loco — non in omnibus, quoniam argumenta a posterioribus mutilata et decurtata sunt — hodie legimus, cui classi pro sua quaeque praestantia assignetur fabula. Atque nostra maxime interest arg. Orestis fabulae Euripideae: *τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφὴν... τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ τῆς σκηνῆς εὐδοκιμούντων, χείριστον τοῖς ἤθεσι κτλ.* At ne verba quidem *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων* demonstrant Aristophanem spectacula diligenter frequentasse. Cetera argumentorum iudicia aesthetica sic conformata sunt, ut ea ab critico qui fabulam perlegerit originem trahere facile videas. Sed fortasse aliter iudicandum est de Aeschyli Agamemnonis argumento: *τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος* [Cassandrae vaticinatio] *θαυμάζεται ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν.* At Aeschyleae fabulae posterioribus saeculis vix actae esse videntur. Itaque vix credibile est hoc de Agamemnone iudicium a grammatico in medium prolatum esse fabulam ipsam in scaena admirato illo. Certe omnino nequit cogitari, quomodo comoedias Aristophaneas in theatro Alexandrino in censum vocaverit, cum antiquae comoediae his Menandri temporibus non iam locus esset in scaena Graecorum. Unde sequitur Aristophanem ex certo quodam fonte hoc de fabulae praestantia iudicium hausisse. Sicut didascalicam doctrinam, quando primum docta sit fabula, quo archonte, quae una in certamen delatae sint aliorum poetarum fabulae, quo eventu certatum sit, in argumentis componendis nullo alio ex fonte hausit secundum virorum doctorum consensum[1]) nisi ex Aristotelis didascaliis, ita etiam iudicia de singulis fabulis a peripateticis accepit.

In didascaliis quidem, quas adhuc tenemus (CIA II 972—75), hoc unum tantum adnotatum videmus, quo cum eventu poeta primum fabulam docens certaverit; sed in uberiore Aristotelis opere

[1]) vide Reischium in Pauly-Wissowae encycl. s. v. *Διδασκαλίαι* vol. V, p. 396.

de didascaliis conscripto, unde nostras didascalicas inscriptiones derivatas esse probabiliter suspicatur Reisch (l. l. p. 399), fortasse uberius de fabulae praestantia disputavit philosophus; neque id mirum. Nam si Aristoteles, ut hoc exempli gratia afferam, in archontum actis, quae ipse excerpsit, Alcestidem et tragoedias similis coloris quarto uniuscuiusque tetralogiae loco, quo loco semper satyricae fabulae doceri solebant, actas esse invenit, per se ipsum hoc patet: in libro de didascaliis scripto quaestionem movit Aristoteles, quomodo fieri posset, ut hae fabulae, quae primo obtutu merarum tragoediarum speciem praebebant, satyricae fabulae loco scaenae committerentur. Qua re fiebat, ut in Alcestide et Oreste tractandis haec dramata *κωμικωτέρας ἔχειν καταστροφὰς* erueret. Sed his inventis in libro de arte poetica conscripto et in dialogis usum esse exemplum docet infra tractandum. Aristoteles quamquam fabulae praestantiam legentibus iam apparere dicit[1]), tamen se non paucas Euripidis tragoedias in scaena admiratum esse ipse est testis eo loco, quo dicit tragoediam bene se habentem mutare oportere non in fortunam secundam ex adversa sed contra ex secunda in adversum cap. 13, § 8: „*ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν τέχνην καλλίστη τραγῳδία ἐκ ταύτης τῆς συστάσεώς ἐστιν. Διὸ καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνουσιν, ὅτι τοῦτο δρᾷ ἐν ταῖς τραγῳδίαις καὶ πολλαὶ αὐτοῦ εἰς δυστυχίαν τελευτῶσιν. Τοῦτο γάρ ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὀρθόν. Σημεῖον δὲ μέγιστον· ἐπὶ γὰρ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώταται αἱ τοιαῦται φαίνονται, ἂν κατορθωθῶσιν, καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται*“. Sed quid utimur ambagibus: Ex Orestis ipsius argumento satis plane elucet, quantum debeat Aristophanes Byzantius Aristotelis studiis aestheticis. Quantopere Aristoteles splendidum scaenae apparatum ut artis poeticae expertem neque proprium repudiaret, iam supra vidimus; multo maioris aestimabat mores personarum subtiliter et magna humani animi scientia delineatos esse a poeta (art. poet. cap. 14, § 14, 15 et cap. 15). Deinde, id quod iam vidimus, tragoediam mutare oportere non in fortunam secundam ex adversa sed contra ex secunda in adversam sibi persuasit. Qua re fieri non poterat, quin Aristoteles Orestem Euripideam non vituperaret, et re vera tale iudicium de una fabulae persona de Menelao (profert l. l. cap. 15, § 7): *ἔστι δὲ παράδειγμα πονηρίας μὲν ἤθους μὴ ἀναγκαῖον οἷον ὁ Μενέλαος ὁ ἐν τῷ Ὀρέστῃ.* Quibuscum si Aristophanis Byzantii iudicium in argum. Orestis servatum (*τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφὴν — τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ τῆς σκηνῆς εὐδοκιμούντων — χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι· πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι*) contuleris, peripateticae doctrinae reliquiae in Aristophanis argumentis te non effugient.

[1]) de art. poet. c. 6 (in fine): *ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικὸν μὲν ἀτεχνότατον δὲ καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς· ὡς γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστίν, ἔτι δὲ κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὄψεων ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστίν.*

Itaque, ut ad finem iam haec perveniat disputatio, effecimus, voluimus quidem certe efficere in hoc dissertationis capite, ab Aristophane neque in hypothesibus componendis neque in fabulis explicandis scaenae illius aetatis consuetudinem observatam esse. Neque id mirum. Quid enim lucri ab histrionibus ad fabularum locos rectius intellegendos peti poterat? Quare et in nostrae aetatis Lessingii, Schilleri, Goethei commentariis frustra iudicia de theatrorum atque histrionum fabulas agendi ratione quaesiveris.

II.

Demonstrasse mihi videor primo capite scholia neque ad Orestem 1287, 269 neque ad Hipp. 171 recte a Wilamowitzio esse intellecta. Irrita igitur eius sententia, quam hoc in fundamento exstruxit, Aristophani, utpote usus scaenici Alexandrini in suis commentariis iudici, deberi omnes eos locos, quibus quae in agendis fabulis contra consilia poetae verbis ipsis significata histriones peccaverint notata invenimus. Perlustrantibus autem nobis ea quae restant scholia quaeque scaenici usus observatione orta sunt vel orta esse videntur occurrit schol. Or. 1366. Postquam Orestes et Pylades ad Helenam interficiendam in aedes intrarunt et Electra scaena decessit, subito chorus novam personam advenire his verbis spectatoribus significat: (1366 sqq.)

ἀλλὰ κτυπεῖ γὰρ κλῇθρα βασιλικῶν δόμων,
σιγήσατ᾽· ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν
οὗ πευσόμεσθα τἂν δόμοις ὅπως ἔχει.

His verbis vix ad finem perductis Phrygius servus paene exanimatus se in scaenam proripit haec exclamans:

Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγα
βαρβάροις εὐμάρισιν κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέραμνα
Δωρικάς τε τριγλύφους κτλ.

In scholiis hanc legimus adnotationem: *ἀλλὰ κτυπεῖ: ἐξιών τις ψοφεῖ, τοῦτο γὰρ ἔθος, ταῖς θύραις· τούτους δὲ τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις ἐξ ἑτοίμου συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι ἀλλὰ μᾶλλον*

τῶν ὑποκριτῶν, οἵτινες ἵνα μὴ κακοπαθῶσιν ἀπὸ τῶν βασιλείων δόμων καθαλλόμενοι παρανοίξαντες ἐκπορεύονται τὸ τοῦ Φρυγὸς ἔχοντες σχῆμα καὶ πρόσωπον. ὅπως οὖν διὰ τάς θύρας εὐλόγως ἐξιόντες φαίνωνται, τούτους προσενέταξαν. ἐξ ὧν δὲ αὐτοὶ λέγουσιν, ἀντιμαρτυροῦσι τῇ διὰ τῶν θυρῶν ἐξόδῳ. φανερὸν γὰρ ἐκ τῶν ἑξῆς ὅτι ὑπερπεπήδηκεν. Haec grammatici observatio secundum Wilamowitzii iudicium (l. l. p. 152, 63) sic est accipienda: „der Eunuch sagt (v. 1369), er wäre der Ermordung entflohen *κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέραμνα* . . . also durch einen Sprung vom Dach. Vorher gehen 3 Verse des Chors, worin in üblicher Weise das Knarren der Türe und Heraustreten des Phrygers notifiziert wird. Das vorzügliche Scholion hebt den Widerspruch hervor und stellt die sichere Vermutung auf, die 3 Verse wären von den Schauspielern eingelegt *οἵτινες ἵνα μὴ κακοπαθῶσιν ἀπὸ τῶν βασιλείων δόμων καθαλλόμενοι παρανοίξαντες ἐκπορεύονται τὸ τοῦ Φρυγὸς ἔχοντες σχῆμα καὶ πρόσωπον*“. At quid quaeso chori ac Phrygis verba intra se coniungi vetat? Num tu putas servum tam diligenter de fuga narraturum fuisse, si ipse ex poetae consilio et iam Euripidis aetate ante spectatorum oculos de tecto desiluisset? Praeterea ne hoc quidem est neglegendum; si Euripides animos spectatorum ad Phrygem de tecto desilientem, priusquam ille ipse fugam et quae interea acciderant expositurus in scaenam veniebat, advertere voluisset, futurum fuisse puto, ut chorum de servo desiliente loquentem induceret. Sed mihi ne una quidem tragoedia in memoriam redit, in qua persona quadam fabulae ex tam alto loco desilit in scaenam.[1]) Dixerit quispiam in hoc ipso poetam hic novasse usu histrionis ex altioris scaenae loco desilire iussi. At hanc rem prorsus novam et inauditam significasset atque monuisset mihi crede poeta verbis perspicuis chori (cf Bethei Prolegg. 137. 139 sqq., 151 sqq.) Optime id illustrat Eur. Hek. 1056, Hiket. 985, Herakl. 817 sq., Orest. 1631, prae ceteris autem locis afferendum Androm. 1227, ubi Thetidis adventus his verbis a choro indicatur:

[1]) In mentem mihi redit scaena Iphigeniae Tauricae, ubi Orestes una cum Pylade Artemidis simulacrum erepturus dicit: (95 sq.) *Πυλάδη . . τί δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὑψηλά. πότερα δωμάτων προσαμβάσεις ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν οὖν μάθοιμεν ἄν; ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μόλοις . . .* Orestes nullam viam simulacri asportandi videt propter altissimum parietem nisi per portam intraret. Aliam autem rationem Pylades (113) demonstrat *ὅρα δὲ γ' εἴσω τριγλύφων ὅποι κενὸν δέμας καθεῖναι . . .* Sin id Pyladis consilium sequi voluisset altas parietes transcendere coacti essent. At consilium est, neque in scaena id actum videbatur. Memineris quoque Euadnae quae tamen in Suppl. Eur. (1065 sqq.) de saxo desilit (Bethe Prolegomena 201).

τί κεκίνηται; τίνος αἰσθάνομαι
θείου; κοῦραι λεύσσετ' ἀθρήσατε·
δαίμων ὅδε τις λευκὴν αἰθέρα
πορθμευόμενος, τῶν ἱπποβότων
Φθίας πεδίων ἐπιβαίνει.

Bethe de hoc loco: (p. 139 sq.) „Die ausführliche lebhafte Ankündigung der Luftfahrt beweist, daß hier eine nicht gewohnte Erscheinung gezeigt wird“.

At dixerit quispiam: apud Euripidem olim chorus servi desilientis mentionem fecit iis versibus, pro quibus histriones versus hodie in codd. exstantes posuerunt. At cogitari nequit, quomodo factum sit, ut histrionum versus tantopere praevalerent, ut verba Euripidis histrionum interpolatione ex exemplaribus eicerentur. Nil hic ab histrionibus fictum, id quod vana illius critici opinio voluit. Sed potius revoces necesse est et chori versus (1366—68) et servi cantici initium (1369 sqq.) ad poetae ipsius consilium, qui hanc scaenam sic agendam curavit, ut servus per portam egressus (quae res ex theatri more a choro pronuntiatur sicut in Orest. v. 1503—1505) narraret se intus domus in aula id est post scaenam ab Oreste timore percussum atque *κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέραμνα Δωρικάς τε τριγλύφους* salientem fuga salutem petivisse. Quod nisi fallor iam criticus quidam sensit, si quidem nescio cuius opinionem (cf. p. 217, 17 sq. Schw.): *τέρεμνα δὲ τὰς ὑψηλὰς στέγας. φαίνεται ἐκ τούτων ὑπερπεπηδηκὼς τὰς ὑψηλὰς στέγας* repudiavit haec locutus (19): *ταῦτα οὖν φησιν, ὡς ὑπερπεπηδηκὼς τῶν ἔσω τινὰς οἴκων.*

Ceterum causam investigasse mihi videor, qua commotus poeta servum tam miro modo de fuga loquentem induxerit. Probandum videlicet est Radermacheri iudicium, qui in commentatione „Über eine Szene des euripideischen Orest“ (Mus. Rhen. 57 [1902] p. 278 sq.) Orestem fabulam similiter ac Alcestidem neque tragoediam esse neque comoediam sed medium inter utraque dramatum genera locum tenere optime demonstravit; idque argumentis ex Phrygis monodia petitis. Quorum argumentorum unum neque exiguum his verbis adumbrat Radermacher (p. 280) . . . „drittens muß der Gesamteindruck der drastischen Schilderung ein komischer sein; er wird nicht bloß durch die Jammergestalt des Erzählers verbürgt (Anm. 3: es genügt auf die Art zu verweisen, wie er sich einführt, v. 1369 ff.), sondern auch durch die Art, wie das lächerliche Benehmen der phrygischen Dienerschaft mit Behagen breit ausgemalt

wird". Itaque Euripides ad comicae artis rationis confugiens[1]) id inprimis animo agebat, ut servus Phrygius narrans, quomodo fuga salutem petiverit, spectatorum risum moveret, neque non cogitari potest, quanto risu sonuerit theatrum servi verbis auditis, quae aliquid similitudinis habent cum nostri sermonis cotidianis comicisque verbis: „man möchte an den Wänden hinauflaufen".

Iam iam si retro cursum flectimus ad scholion de quo agitur haec nostro iure nobis statuere licebit: Vana est scholiastae opinio versus 1366 sqq. actorum pigritiae deberi, et videor mihi hac in observatione unum ex nimis morosis histriones immerito castigantibus grammaticis subodorari, quod hominum genus infra saepius nobis occurret. Denique hand inutile erit adnotare grammaticum ipsum huic coniecturae suae haud magnam fidem habuisse, si quidem cautionem optativi in suum usum vocans haec profert: *τούτους δὲ τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις ἐξ ἑτοίμου συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι.*

De scholio in Orestem 269 iam supra (p. 8 sq.) disputavimus, cum verisimilia esse negaremus quae scripsit Wilamowitz (l. l. 151): „Unzweifelhaft gehört ihm (Aristophanes) dann auch eine weitere Stelle, wo ebenso Stesichorus die Absicht des Euripides erläutert. Hier aber richtet sich die Bemerkung gegen die Praxis der Schauspieler wie sie zu Zeiten des Verfassers auf der Bühne in Geltung war", unde intellegitur ex Wilamowitzii sententia uni eidemque critico integrum illud scholion deberi. At non dubitamus, quin ex duobus variis fontibus haec tota eruditionis copia fluxerit; alter enim grammaticus — erat fabularis historiae peritus — de fonte in hac fabulae oeconomia ab Euripide exhausto verba fecit: *Στησιχόρῳ ἑπόμενος, τόξα φησὶν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Ἀπόλλωνος·* alter autem qui intellegendus esse videtur interpres Euripidis, ex textus interpretatione ipsa iubet eum, qui Orestis partes est acturus, arcum re vera manibus capere, cum tamen histriones aequales talia simulare dicantur: *ἔδει οὖν τὸν ὑποκριτὴν τόξα λαβόντα τοξεύειν· οἱ δὲ νῦν ὑποκρινόμενοι τὸν ἥρωα αἰτοῦσι μὲν τὰ τόξα, μὴ δεχόμενοι δὲ σχηματίζονται τοξεύειν.* Harum duarum sententiarum particula *οὖν* coniunctarum ea, quam secundo loco protulimus, quin ad Euripidis verba tantum spectet equidem non dubito. Quid enim haec ad Stesichorum? Quo quaeso iure Orestis Euripidei histrio Stesichoreum illum sequi iubetur? Immo necesse est statuamus haec, quae observaverit scholiasta, non nisi ex Euripidis ipsius verbis

---

[1]) Radermacher sibi persuasit Herculis Busiridisque fabulam a comicis iterum saepiusque tractatam Euripidis ante oculos fuisse, qui ipse de hac fabulosa historia satyricum drama composuit.

conclusa esse. Euripidis versus interpretatus ille, quae nimis subtili interpretatione eruerat, etiam histrionibus in scaena agenda esse opinatus est. An dubitas, quin iam Euripidis temporibus nemo histrionum re vera in scaena arcu accepto tela miserit? Neque id voluit poeta nihil agens nisi hoc, ut Orestis mente capti naturam bene describeret, id quod optime intelleges ex v. 271 sqq. Sed iam hoc loco statuimus — et infra id maioris erit momenti — non satisfecisse critico nostro histriones actionem simulantes et verbis exprimentes, quae in scaena agenda essent.

Itaque rebus non solum pronuntiatis sed etiam actis in scaena animos audientium adiuvandos esse erat illius opinio.

En habes alius critici imaginem, qui in schol. Or. 643 histrionum gestus in censum vocat. Si vere rettulit ille, erant histriones Menelai partes agentes, qui, cum Orestem verba locutum esse sentiebant (v. 643): *ἃ δ'ἔλαβες ἀπόδος, πατρὸς ἐμοῦ λαβὼν πάρα*, manus ad caelum tollerent quasi significaturi hoc fere: minime mihi a patre tuo pecunia tradita est. Verba scholiastae sunt haec:[1])

ἃ δ'ἔλαβες: τούτου ῥηθέντος αἴρουσιν οἱ ὑποκριταὶ τὴν χεῖρα ὡς τοῦ Μενελάου ἀγωνιῶντος, μήποτε λέγει ὅτι παρακαταθήκην ἀργυρίου παρὰ τοῦ πατρὸς πεπίστευται· εὐήθης δέ ἐστιν ὁ τοιαύτης ὑποψίας ἀντιλαμβανόμενος Μενέλαος· εἰ γὰρ μήτε τὸν λέγοντα ᾔδει μήτε οὗ ἐστι χρεία, ἴσως ἂν εἶχέ τι πιθανὸν τὸ γινόμενον· ἐπεὶ δὲ ἐπίσταται, περιττὸν καὶ ἄπορον τὸ δρώμενον.

Non assentior Heimsoethio (de voce *ὑποκριτής* commentariolus, Ind. lect. Bonn. 1873/4, p. IV.), qui ad hunc locum adnotat: „Haec si vere rettulit ille, fuere tunc histriones, qui gestibus suis grammaticorum interpretationes ineptas aemularentur". Certe enim noluit poeta Orestis verba statim intellegi a Menelao, quapropter Orestem fecit pergentem: *οὐ χρήματ' εἶπον κτλ.* (H. Weil in Eur. ed. ad l.). Itaque poetae consilium rectissime intellexerunt histriones, levidensi corporis motu hoc loco opus esse Menelai actori sive manus tollenti sive abnuenti. Criticus autem, cui optima data erat ansa ad histriones castigandos, ipse dignus est, qui castigetur. Poetae consilium fuisse et hac parvula actione Menelai, qui pessimus homo in omnibus diffidebat Oresti, mores describere non sensit criticus.

Ut is criticus levidensem corporis motum histrionibus opprobrio fecit, sic alius quidam in schol. Hipp. 215 Phaedram amore

---

[1]) Uberius hoc scholion legis in Prolegg. ad Hermogenem IV 7 (Walz); cf. Wilamowitz l. l. 152, 60, Radermacher Mus. Rhen. 57, 283.

Hippolyti aegrotam verba *πέμπετέ μ'εἰς ὄρος* loquentem exsilire iubet quasi vero in silvas fugituram illam: *ἐνταῦθα δὲ δεῖ τὸν ὑποκρινόμενον κινῆσαι ἑαυτὸν καὶ σχήματι καὶ φωνῇ καὶ ἐν τῷ εἶμι πρὸς ὕλην ἀναπηδᾶν ὡς αὐτῆς πορευομένης.* Grammaticum nostrum Phaedram in theatro sic agentem non vidisse sed eum praescribere, quo corporis motu histrionibus utendum sit, satis clare scholii forma docet. Docet quoque, quantopere interpretes antiqui fabulam poetae ipsius temporibus scaenae commissam sibi ante oculos posuerint, ut inde fortasse lucri aliquid in poetae verbis rectius intellegendis peterent.

In Orestis initio Electra se una cum Oreste fratre[1]) post Clytaemestrae mortem a civibus Argivis capitis damnatum iri exponit, si non a Menelao Troia deleta redeunte auxilium sperandum sit. Helenam Menelai uxorem hac quae praeterisset nocte in aedes regias praemissam esse, ne quid mali ab Argivis ei accideret:

(v. 56) *τὴν δὲ δὴ πολύστονον*
Ἑλένην φυλάξας νύκτα, μή τις εἰσιδὼν
μεθ' ἡμέραν στείχουσαν, ὧν ὑπ' Ἰλίῳ
παῖδες τεθνᾶσι, εἰς πέτρων ἔλθῃ βολάς,
προύπεμψεν εἰς δῶμ' ἡμέτερον· ἔστιν δ'ἔσω
κλαίουσ' ἀδελφὴν συμφοράν τε δωμάτων.

Ad 57 adnotatur: *οὐκ ὀρθῶς νῦν ποιοῦσί τινες τῶν ὑποκριτῶν πρῷ εἰσπορευομένην τὴν Ἑλένην καὶ τὰ λάφυρα· ῥητῶς γὰρ αὐτὴν νυκτὸς ἀπεστάλθαι φησί τὰ δὲ κατὰ τὸ δρᾶμα ἡμέρᾳ σύν τελεῖται.* Wilamowitz (l. l. 152, 62) exponit haec: „man ließ also Helena während des Prologs mit einem Triumphzug, Beutestücken, Sklavinnen etc. auf die Bühne kommen, während der Dichter sie bereits bei Nacht, vor Beginn seines Stückes, hatte kommen lassen". Quae verba si recte explicasset vir doctus, drama Euripideum tali modo ab histrionibus scaenae commissum esset qualis ne pessimae quidem histrionum societati condonari deberet. Consideres quaeso: Electra, quae una cum fratre laboribus defesso et somno oppresso fabulae initio in scaena ante domum regiam spectatur, haec fere exponit: Helena ea quae antecessit nocte in Menelai aedes ingressa intus sedet generis sortem deplorans (60 sqq.). Quae dum Electra loquitur Helena ipsa cum servis comitibusque triumpho advenit. Id vel furiosus quidam scaenici apparatus splendorisque amator vix tulisset. Quare olim contendebam a scholiasta vestigia alterius prologi servata esse ab histrionibus pulchri apparatus studiosis fabricati; enimvero prologis omnino non pepercisse scaenicos artifices cum alia docent testimonia tum hoc in hypothesi ad Rhesum servatum (324, 12 Schw.): *ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ· καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτὸν*, unde vides huic critico et duas Rhesi editiones praesto fuisse, quarum in altera verus, in altera spurius ferebatur prologus et notum fuisse illi, quantopere histriones poetarum fabulis obfuerint lepida sua cum pretiosis poesis fructibus commiscentes (de his prologis cf. Wilamowitz l. l. 130). At quam sententiam meam ut abicerem commoverunt me adnotationis verba *καὶ τὰ λάφυρα* cuius rei fabulae textus ansam non praebet, ita ut digito quasi ad fabulam contra poetae consilia splendido apparatu exornatam intendamur. Itaque in scaena Orestem actam vidit criticus, sed aliter quam eum illam vidisse Wilamowitz dicit. Non dum prologus agitur sed iam inde ab initio, priusquam Electra prologum agere incipit, Helena in scaenam triumpho invehitur, neque tam vehementer haec pugnant contra poetae consilium e versibus 57 sqq. conspicuum, si suspicamur rem ita institutam esse ab actoribus, qui non tam fabulae oeconomiam respicere quam popularem admirationem captare solebant. En iterum habes exemplar corruptae histrionum artis, quam Horatius et Cicero (ep. in fam. VII 1, 2) accusaverunt, quam iam pridem Aristoteles vituperatione affecit praeclaro illo loco (de art. poet. p. 1451 b): *τῶν δὲ ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶν χείρισται· λέγω δ'ἐπεισοδιώδη μῦθον ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι· τοιαῦται δὲ ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτούς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς ὑποκριτάς. ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ την δύναμιν παρατείναντες μῦθον πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς.*

Quo tempore autem Orestis fabulae oeconomia sic instituta sit, difficile est dictu, quoniam Orestem non solum quarto exeunte saeculo[1]), sed etiam sequentibus saeculis[2]) in deliciis Graecorum fuisse docent tituli.

[1]) Orestem inde ab initio fabulae dormientem, dum prologum agit Electra, humi iacere docet vers. 35.

[1]) Dittenberger Sylloge I. G. II[2] p. 526 l. 13 et 19 (didascalica quarti saeculi inscriptio).

[2]) Tertii a. Chr. saeculi est monumentum tragoedi, „quod ille propter victorias peregre partas in theatro patriae urbis (Tegeae) erexit", etiam Orestis mentio fit (Dittenberger l. l. p. 533 l. 5); certe hic titulus est recentior anno 274 (Dittenberger l. l. nota 3). Nostra interest addere Rudolfum Herzog primum de inscriptione nostra iudicasse in commentatione „Ein Athlet als Schauspieler" Philologus 60 N. F. 14 (1901) 440—45. Hunc virum doctum si sequimur, histrio ille tales partes agendas sibi elegit, quibus corporis viribus uti poterat: „Wir sehen also, daß alle Helden, die der Schauspieler darstellte,

Paucis verbis aliud huius generis scholion Or. 176 in censum vocare licet: Electra quoniam Orestes paululum dormiens laboribus morbi liberatus est, noctem advocat: ἐρεβόθεν ἴθι, μόλε κατάπτερος τὸν Ἀγαμεμνόνιον ἐπὶ δόμον. Scholiasta haec exponit: τοῦτο τὸ μέλος ἐπὶ ταῖς λεγομέναις νήταις ᾄδεται καί ἐστιν ὀξύτονον. Grammaticus, ad quem referenda est haec observatio, secundum Wilamowitzii iudicium non poetae consilium sed aetatis suae histrionum usum novit similiter ac Dionysius Halicarnassensis, qui fortuito eiusdem cantici Euripidei initium sibi elegit explicandum (de comp. verb. cap. 11, p. 41, 21 sq. Usener-Rademacher). At vero postquam in papyro certe Dionysii Halicarnassensis aetate scripta[1]) fragmentum Orestis versuum 140 sq. inventum est, in qua et chordarum sonitus et vocis cantus notis adscriptis et superscriptis indicantur, etiam Wilamowitzium non perseverare in iudicio illo puto. Mihi quidem Crusius docta sua dissertatione[2]) persuasit in papyro illa non notas posteriore aetate a nescio quo musico adscriptas sed Euripidis ipsius modos servari. Nuperrime denique Ericus Bethe de hac re iudicavit in commentatione „die griechische Tragödie und die Musik"[3]), cuius verba exscribere licebit: „. . . die Partituren jedenfalls derjenigen Tragödien, die dauernd aufgeführt wurden, sind doch ebenso erhalten worden wie die Texte, aber natürlich früh getrennt von ihnen, da Partituren lesen wie heute auch im Altertum meist nur Musiker konnten. Nur aus Partituren konnte Aristoxenus viele alte Musikstücke kennen. Wie sehr übrigens

---

das Spiel durch Äußerung riesiger Körperkraft beherrschen, wie er sie selbst im wirklichen Faustkampf siegreich betätigt hat. Das eröffnet eine traurige Perspektive auf den Niedergang der tragischen Kunst . . . . eine andere Beobachtung drängt sich auf. Daß die Stücke der παλαιὰ τραγῳδία von den Protagonisten, wie von Dichtern aufgeführt, also auch gewählt wurden, ist bekannt. Der Schauspieler hat dadurch einen großen Einfluß auf das Fortleben der alten Stücke, wohl einen größeren als der selbständige Geschmack des Publikums, das sich eben vom 4. Jahrhundert an ganz von den großen Schauspielern leiten läßt. So hatten diese in hellenistischer Zeit nicht nur das Schicksal der Texte, sondern auch der ganzen Stücke der Alten in ihrer Hand, unabhängig vom Urteil der gelehrten Kritiker. Daß Euripides der Liebling des Publikums in diesen Zeiten war, ist nicht neu. Unser Schauspieler aber hat von seinen Stücken nicht etwa die besten, sondern nur die ihm liegenden ausgewählt und dazu noch zwei Stücke von Zeitgenossen des Euripides ausgegraben, gewiß nicht wegen ihres Gehaltes, sondern wegen ihrer Bravourrolle.

[1]) ed. C. Wessely Mitteilungen aus der Sammlung des Papyrus Erzherzog Rainer, Bd. V.

[2]) Philologus 52 (1894) 196—99.

[3]) Neue Jahrb. f. klass. Alt. 1907, 82, 1.

auch die Musik der Euripideischen Zeit trotz veränderten musikalischen Geschmacks geschätzt wurde, zeigt die Tatsache, daß damals Stücke aus Euripideischen Tragödien auch in Konzerten vorgeführt wurden, BCH XVIII 1894, 84, 7 = Dittenberger Sylloge [2] 717 (der Samier Satyros hat im II. Jahrh. v. Chr. in Delphi zugegeben: ᾆσμα μετὰ χοροῦ Διόνυσον καὶ κιθάρισμα ἐκ Βακχῶν Εὐριπίδου)". Recedimus igitur et in hoc scholio diiudicando, cuius doctrinam ex manuscripto notis instructo manare putamus, ab illa opinione usus scenici Alexandrinae aetatis a criticis in usum vocati.

Ultimo loco in iudicium vocamus Medeae vss. 1314—1322: Iason de uxoris foedo crimine certior factus Medeam interfecturus domum properavit comitesque portae claustrum revellere iubet:

1314 χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα, πρόσπολοι,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν,
τοὺς μὲν θανόντας, τὴν δὲ τίσωμαι φόνῳ.

Inane est Jasonis consilium; Medea apparet haec locutura:

τί τάσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας,
νεκροὺς ἐρευνῶν κἀμὲ τὴν εἰργασμένην;
παῦσαι πόνου τοῦδ'· εἰ δ'ἐμοῦ χρείαν ἔχεις,
1320 λέγ' εἴ τι βούλει, χειρὶ δ'οὐ ψαύσεις ποτέ·
τοιόνδ' ὄχημα πατρὸς Ἥλιος πατὴρ
δίδωσιν ἡμῖν, ἔρυμα πολεμίας χερός.

Quo de fabulae loco in argumento legimus: Μήδεια δὲ τοὺς ἑαυτῆς παῖδας ἀποκτείνασα ἐπὶ ἅρματος δρακόντων πτερωτῶν ὃ παρ' Ἡλίου ἔλαβεν ἔποχος γενομένη ἀποδιδράσκει εἰς Ἀθήνας . . ., et in scholiis ad v. 1320 adnotatur: ἀντὶ τοῦ· οὐ δυνήσῃ κατασχεῖν ἡμᾶς οὐδὲ καταλαβεῖν· ἔχομεν γὰρ ὄχημα πρὸς ἀποφυγὴν τῶν πολεμίων· ἐπὶ ὕψους γὰρ παραφαίνεται ἡ Μήδεια, ὀχουμένη δρακοντίνοις ἅρμασι καὶ βαστάζουσα τοὺς παῖδας. Certe is criticus qui tam clare scripsit ἐπὶ ὕψους φαίνεται ἡ Μήδεια fabulae epilogum ita in theatro vidit, ut Medea una cum liberis alto loco curru draconibus instructo veheretur. At negat Ericus Bethe (l. l. 144 sqq.) iam Euripidem anno 431 a. Ch. ea machina usum, qua personae in altum tollebant, rem ita instituisse, ut Medeam in curru vehentem induceret. Haec autem erat vulgaris opinio interpretatione versum 1320—23 nixa, quam repudiandam censet vir doctus alia interpretatione commotus; vertit enim sic: „Sprich, wenn du willst; berühren wirst du mich nicht: denn dieser von meinem Ahnen Helios geschenkte Wagen hat die wunderbare Kraft, daß er mich schützt vor Feindeshand". Ac mehercle ne uno quidem verbo Euripideo id, quod adhuc crediderunt viri

docti, probatur Medeam iam anno 431 in alto scaenae loco apparuisse. Sed utcumque res se habet quarto vel tertio saeculo Medeam sic actam esse criticus est testis. Et praeterea testatur ille currum draconibus instructum fuisse. Quod non fuisse ex Euripidis consilio recte monuit Bethe: „Denn niemand wird zu behaupten wagen, daß sich geflügelte Schlangen für einen Wagen des Helios besonders eigneten, daß diese als sein Gespann auch nur erklärlich wären“ (p. 147). Et suspicatur vir doctus dracones a scaenicis artificibus, ut tragoediae Euripideae maiorem darent splendorem, ex altera Medea tragoedia petitos esse, quam recentior quidam poeta scripsit singula quaedam ex suo ingenio addens, Euripidis artem in universum secutus. Dubitaverunt viri docti. Et difficilius est novis subsidiis destitutum in hac argumentorum inopia modo in hanc modo in illam partem prolatorum nodum solvere. Sed in Senecae Medeae epilogo aliquid invenimus dignum, quod huic disputationi inseratur: Medea altero filio interfecto ad alterum conversa se domus tectum concensuram esse dicit (v. 972 sqq.):

excelsa nostrae tecta conscendam domus
caede incohata, perge tu mecum comes.

Quae sequuntur Iasonis verba (978 sq.) aliquo similitudinis vinculo coniuncta sunt cum Eur. vss. 1313 sqq. Tum Jason Medeam in tecto stantem conspicatus haec exclamat (995 sqq.):

en ipsa tecti parte praecipiti imminet.
huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
suis perusta.

Deinde Jasoni Euripideo similis ille petit oratque, ut alterum filium attingere sibi liceat. Medea autem ei non obsecuta altero quoque filio necato draconis curru per aera Athenas effugit (v. 1022 sq.):

patuit in caelum via:
squamosa gemini colla serpentes iugo
summissa praebent.

Itaque etiam Seneca Euripidem sine dubio imitatus ille Medeam draconis curru effugientem induxit, quamquam haec de curru dicta ex Euripidis verbis ipsis non emanare probavimus. Itaque Senecam in Euripidis exemplari suo cum argumentum tum schol. 1320 legisse mihi persuasum est; neque res est singularis. Iam a Valerio Flacco in Argonanticis scholia ad Apollonii Rhodii Argonautica, quae hodie quoque leguntur in codice Laurentiano adhibita esse constat. Illud autem a nobis inventum eorum interesse debet, qui de Graecorum exemplarium primo p. Chr. saeculo indole iudicare sibi proposuerint.

III.

Omnibus quae adhuc in censum vocata sunt scholiis hoc certe evincitur, quanto cum studio veteres critici in histriones animos adverterint sive ipsi fabulis in theatro spectatis iudicia sua protulerunt sive histrionum exemplaribus usi ineptas coniecturas fecerunt, ita ut primo obtutu in theatro fuisse viderentur illi. Occurrit autem nobis de scholio Eur. Or. 1366 disputantibus criticus quidam, qui histriones propter licentiam in fabulis agendis perspicuam castigare gaudebat. Restat, ut agamus de aliis scholiis simili colore perfusis, in quibus invenimus cum discrepantias lectionum notatas ex usu histrionum originem capientes tum histrionum consuetudines opprobriis obrutas, quod textui recte intellegendo obstarent.

Quomodo factum sit, ut critici Alexandrini ne illos quidem versus, quos poetis indignos aut aliunde textibus insertos putaverunt, eicerent sed si rerum natura poscebat obelo tantum notarent, edocuit Karolus Lehrs (de Arist. stud. Hom. 340). «Aristophanes et Aristarchus non in elegantiorum hominum usum editiones suas parabant, sed scholae atque extra scholam nemini. Schola vero, quae discere vult, nec male interpositis versibus carere potest, unde plurima discendi materia . . . nec malis textibus innutriri decet, quare commode in margine appositis notis admonetur, et in omnibus singulis scire interest, ubi magistro dubitatio orta, etiamsi talis sit, ut aliquid contra afferri possit.» Quid mirum in tragoediarum textibus recensendis etiam histrionum exemplaria adhibita esse ab illis? Atque hanc totam textus recensendi materiam petivit ab iis Didymus, ita ut et complures variae lectiones ab histrionibus originem trahentes in Didymi recensione exstent.

Atque primum quidem schol. Med. 85 tractamus, quod quamquam Didymi nomen non prae se fert tamen propter similia scholia Chalcenteri nomine ornata Didymeum esse contendo. Histriones scripsisse dicuntur pro:

τίς δ'οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε,
ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

hoc: *τίς δ'οὐχὶ θνητῶν τοῦτο γιγνώσκει σαφῶς*

quippe qui non intellexerint verba *τίς δ'οὐχὶ θνητῶν* referenda esse ad nutricis quae antecedit orationem, novam autem sententiam institui ab *ἄρτι γιγνώσκεις τόδε* ad vers. 86 spectantem. *Οἱ δὲ ὑποκριταὶ ἀγνοήσαντες τὶ τῆς ἀντιδιαστολῆς μετατιθέασιν εἰς τὸ.*

Itaque histriones et carentes interpunctis textibus neque intellegentes poetae verba, quoniam absurda in scaena pronuntiare sane verebantur, mutabant atque idem factum esse suspicatus est Bruhn (lucubrationes Euripideae in Ann. Fleckeis. Suppl. XV, 248) in Med. 910: traditum est in codicibus *γάμους παρεμπολῶντος ἀλλοίους* (sive *ἀλλοίου*) *πόσει* quem ad versum adnotavit quidam: *ἰδίως δὲ εἴρηκε πόσει ἀντὶ τοῦ πόσιος· οἱ δὲ ὑποκριταὶ ἀγνοήσαντες γράφουσιν ἀντὶ τοῦ πόσει ἐμοῦ ὅπερ οὐ δεῖ.* Itaque grammaticum nostrum non solum lectorum exemplar sed etiam histrionum manuscriptum inspexisse docent verba *οἱ δὲ ὑποκριταὶ γράφουσιν*; in illo exemplari legebat *πόσει* in hoc *ἐμοῦ*. Bene intellegimus iam grammaticum (Didymum? Cf. Wilamowitz Hermes 15 p. 492) de hoc loco emendando antiquitus corrupto desperasse. Itaque alteram lectionem *πόσει* anteposuit alteri histrionum lectioni *ἐμοῦ*; illam ridicula interpretatione firmare studuit, hanc histrionum castigatione quam celerrime absolvisse sibi visus est, quamquam neque *πόσει* neque *ἐμοῦ* versui deleto medelam ferebat.

Alius versus ab histrionibus mutatus est v. Phoen. 264, ubi haec scribunt:

λαβόντες οὐ μεθῶσ' ἀναίμακτον χρόα

pro tradita lectione:

λαβόντες οὐκ ἐκφρῶσ' ἀναίμακτον χρόα·

schol: *ἡ μὲν γραφὴ «οὐκ ἐκφρῶσιν» οἱ οὖν ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυσέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν.* Fidem habet huic critico Bruhn (l. l. 248), qui versum ab iis, qui tragicorum libros describendos curarent, saepius in theatro auditum denique ad hanc formam a poetae consiliis alienam redactum esse opinatur. Quam non verisimile hoc sit iam intelleges, quod scribae nihil nisi libros ipsos inspicere solebant theatri et histrionum consuetudinem neglegentes. Itaque haec corruptela ab histrionibus orta, si re vera ab histrionibus orta est, ex histrionum manuscripto petita est a critico nostro.

Iam transgrediamur ad Medeae v. 356 et 380. Creon ad Medeam loquitur: *νῦν δ' εἰ μένειν δεῖ μίμν' ἐφ' ἡμέραν μίαν·*
οὐ γάρ τι δράσεις ὧν φόβος μ' ἔχει.

Didymus censuerat post hos versus inserendum esse versum, qui nunc in codicibus legitur post v. 379: *σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος* cf. scholia v. 356: *Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ „σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος“ καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς ὡς ἀκαίρως αὐτὸ τάσσουσιν*, et ad v. 379: *ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν . . . .*

Qua adnotatione illa quae de fontibus a Didymo et iam pridem ab Aristophane aliisque in Euripide edendo exhaustis diximus evictum iri spero. Certe rectissime interpretatus est Bruhn non tam ab histrionibus quam a librariis tale quid commissum cogitari posse, sed effugit virum doctum verbum *τάσσουσιν*, quod plurimum valet. Nonne hoc loco Didymum codicem inspicientem videmus, ubi versus ille post v. 379 exhibebatur? At coniectura stultissima usus est Chalcenterus, cuius ut fidem augeret, ab histrionibus falso loco versum positum esse monebat. Quod autem hac in re posteriores non secuti sunt Didymum, recte fecerunt.

Praeter Didymum et Apollodorus Tarsensis histrionum morosus iudex nobis occurrit, cuius scholion ad Med. 169 «ad illud genus captiosarum quaestionum pertinere quod non tam ad gravem fructuosamque doctrinam quam ad vanam ostentandam scientiam vel ad venditandam ingenii subtilitatem vel etiam ad carpendum optimum poetam inventum cultumque esse putaveris» (Lehrs de Arist. stud. Hom. 197 sq.). Postquam Medea optavit, ut Jovis fulmine perderetur chorus v. 149 canere incipit:

ἄϊες, ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς
ἰαχάν, οἵαν ἁ δύστανος μέλπει νύμφα; sqq.

qua stropha finita Medea exclamat (v. 161):

ὦ μεγάλα Θέμι καὶ πότνι' Ἄρτεμι λεύσσεθ' ἃ πάσχω . . .

deinde nutrix (169):

κλύεθ' οἷα λέγει κἀπιβοᾶται Θέμιν εὐκταίαν Ζῆνα θ' . .

Ad versum 169 (cf. schol. 148) adnotavit scholiasta haec (p. 153, l. 15 sqq.) *Θέμιν εὐκταίαν: τῶν διαβεβοημένων ἐστὶ ζητημάτων καὶ τοῦτο πῶς ἡ μὲν Μήδεια τὴν Θέμιν καὶ τὴν Ἄρτεμιν ἐπιβοᾶται, ἡ δὲ πρεσβῦτις ἀντὶ τῆς Ἀρτέμιδος τὸν Δία φησὶν αὐτὴν ἐπιμαρτύρασθαι. Ἀπολλόδωρος μὲν οὖν φησιν ὁ Ταρσεὺς τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτάς, συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ τῆς Μηδείας λεγομένοις· δεῖν δὲ τὴν διαστολὴν γεγονέναι μὲν ἐκ τοῦ τὴν Μήδειαν ἅπαντα ταῦτα λέγειν „αἰ αἰ διά μου κεφαλῆς φλὸξ οὐρανία βαίη“ ἕως τοῦ „ἄϊες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς“, τὰ δὲ ἑξῆς τῷ χορῷ προσάψαι· οὕτως γὰρ ἐχούσης τῆς διαστολῆς, [ὡς] αὐτῆς φησάσης τῆς Μηδείας διαρρήδην προσκαλεῖσθαι τὸν Δία, τὰ ἑξῆς τὸν χορὸν λέγειν «ἰαχὰν οἵαν ἁ δύστανος μέλπει νύμφα»· εἰ δὲ μή, γελοῖον δοκεῖν τῆς Μηδείας καταρασαμένης ἑαυτῇ τὸν χορὸν λέγειν ἄϊες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς· λελύσθαι οὖν τὴν ἀπορίαν. . .* Quaerebant critici, quomodo factum esset, ut nutrix v. 169 Themin et Jovem invocatum esse diceret a Medea, quae tamen paulo ante Jove neglecto Themin et Artemin imprecata

esset. Apollodorus Tarsensis[1]) autem hanc difficultatem expedivisse sibi visus est, qui v. 146 Medeae tribuendum censeret. Quamquam taedet de hac coniectura, quae iam metri necessitate refutatur, iudicium proferre, tamen non parvi interest cognovisse, quid addiderit criticus ad coniecturam probandam: perturbationem motam esse ab histrionibus chori verba cum dialogi versibus confundentibus. Quod sane factum esse putandum est non nisi post saeculum quintum chori partibus neglectis fabulaeque personis saepius commissis. (Bethe Prolegg. 251; Neue Jahrb. f. klass. Philol. 1907, p. 84, 1.) Inde facile apparet, qui fiat, ut in scaenicorum artificum exemplaribus chori et personarum verba inter se minus differant. Et quod Apollodorus dicere audet *τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ τῆς Μηδείας λεγομένοις* satis histrionum consuetudinem adumbrat. At hac in re histrionibus fidem habere malumus quam Apollodoro; nam distribuerunt illi sicut distribuendos versus esse nemo non censebit et in manuscriptis hodie leguntur. Itaque scholiastae verba non recte intellexisse videtur Bruhn haec scribens (l. l. p. 248): „grammatici sapientiae *ἀπορίας* et *λύσεις* quaerentis perquam convenit hoc commentum; histrionem tam ineptum fuisse aegre adducor ut credam“. Rectissime contra et Bruhn et Heimsoeth (l. l. p. 10) extricaverunt histriones ab Apollodoro accusatos esse, ut ineptae coniecturae fidem augeret. Sperabat criticus omnes, qui scirent, quam non histriones poetarum textibus parcere solerent, rationi loco medendi licet stultissimae statim assensuros esse, si veterem corruptelam ab histrionibus factam latere statueret. — Ceterum Didymus[2]) quoque licet sine fructu laborans in hac quaestione versatus est: *ὁ δὲ Δίδυμός φησιν ὅτι διὰ τοῦ λέγειν ‘διά μου κεφαλῆς φλὸξ οὐρανία βαίη’ ἐπικαλεῖται τὸν Δία· τίς γὰρ εἶχεν αὐτῇ ἐπιπέμψαι τὸν κεραυνὸν εἰ μὴ ὁ Ζεύς;* sin autem Didymus pergit: *εἰ δὲ ἡ πρεσβῦτις μὴ πάντων ὧν ἡ Μήδεια ἐπεκαλέσατο ἐμνήσθη, οὐ παράδοξον· ἠρκέσθη γὰρ τοῖς σεμνοτάτοις*, vel caecus quidam videt haec dicta esse contra Apollodori sententiam, qui unumquemque deum vel numen a Medea invocatum et in nutricis verbis iterum commemoratum nimis diligenter et sobrie invenire volebat. Deinde in schol. 148 Didymi verba *τὸ ἄϊες ὁ Δίδυμος ὡς πρὸς τὰς τοῦ χοροῦ φησι λέγεσθαι*

[1]) Apollodorus Tarsensis praeterea occurrit schol. Arist. Ran. 323, ubi pro tradita voce *Διάγορας* scribi maluit *δι' ἀγορᾶς*. Quem quo iure M. Schmidt (Didymi frgm. p. 293) egregium criticum esse dixerit equidem ignoro.

[2]) De hoc Didymi cf. Roemer (Münchener Sitzungsberichte 1892 p. 637).

„*ἠκούσατε;*“ *καὶ οὐ πρὸς τὸν Δία* aperte respiciunt et refutant ea quae Apollodorus opinatus erat *γελοῖον δοκεῖν τῆς Μηδείας καταρασαμένης ἑαυτῇ τὸν χορὸν λέγειν ἄϊες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς.* Quibus ex argumentis recte concluserunt viri docti[1]) Apollodorum Tarsensem Didymo antiquiorem esse neque non ab uno Didymo omnes illas sententias ad Medeae locum recte intellegendum prolatas in commentarios tragicos receptas esse atque ex illis in corpus scholiorum transisse.

In Euripidis Andromacha hisce verbis Andromacha sortem miserabilem deplorat (v. 6) ego sum Hectoris uxor:

6 *Ζηλωτὸς ἔν γε τῷ πρὶν Ἀνδρομάχη χρόνῳ,*
7 *νῦν δ'εἴ τις ἄλλη, δυστυχεστάτη γυνὴ*
8 *ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεταί ποτε*

schol: *οἱ ὑποκριταὶ τὸν ἴαμβον προσέθηκαν ὑπονοήσαντες εἶναι τὴν γραφὴν „δή τίς“ ἵν' ᾖ οὕτως „νῦν δή τίς ἄλλη“ καὶ ἀντὶ τοῦ συγκριτικοῦ τὸ „δυστυχεστάτη“*. Huic critico, qui talia de histrionum licentia nobis persuadere velit, fidem denegandam esse recte dixit Bruhn quamquam sine dubio v. 8 interpolatum esse suspicamur. Unde quaeso histriones scire poterant lectionem esse „*δὴ τίς*“? Num verisimile est histriones tam stultos fuisse, ut fugeret eos illo concesso *δυστυχεστάτη* dici posse pro *δυστυχεστέρα* versum

νῦν δὴ τίς ἄλλη δυστυχεστάτη γυνή

stare integrum neque desiderari eum qui sequitur in codd.? Veram autem interpretationis viam alter criticus ingressus est, qui interpolatum esse — sed a quo interpolatus sit, non dicit — v. 8 recte contendit et in v. 7 interpretando eam sequitur rationem quam sequendam esse nos quoque putamus: *νῦν δ'εἴ τις* *** (grammatici nomen excidisse intellexit Dindorf) *εἶπεν τὸν δεύτερον στίχον περισσὸν ἐκδεχόμενος τὸ „νῦν δὲ εἴ τις ἄλλη“ ἀντὶ τοῦ ὡς οὐδεμία ἄλλη, δυστυχὴς γυνή· εἰ δέ τις θελήσειεν ἐκδέξασθαι τὸ οὐχ ὑπολαμβάνω, ἵν' ᾖ οὕτως· νῦν δ'οὐχ ὑπολαμβάνω εἰ ἄρα τις γυνὴ ἀθλιωτέρα μού ἐστιν ⟨οὐκέτι περιττὸς ἔσται⟩* (add. Schwartz). Certe Euripides *νῦν δ'εἴ τις* scripsit; prioris scholii auctor autem sudans in quaestione, quomodo v. 8 in textum irrepserit, malevolo animo histriones accusavit neque aptiores poterat invenire, qui textus mutati accusarentur.

Paucis verbis absolvamus necesse est schol. Med. 228, cum quid de histrionum culpa iudicandum sit equidem ignoro. Omnes

[1]) Primus hoc intellexit Richter de Aeschyli Sophoclis Euripidis interpretibus diss. Berol. 1839 p. 82; cf. M. Schmidt Didymi frgm. p. 293.

codices praebent *γιγνώσκειν καλῶς* (vel *γινώσκειν*) schol.: *οἱ δ'ὑποκριταὶ οὐ συμπεριφερόμενοι τῷ τρόπῳ λέγουσι „γινώσκειν καλῶς“*. Quoniam textus verbis a critico histrionum lectio opponatur, dubium non est, quin aut textus aut scholii verba corrupta sint. De textu corrupto cogitaverunt viri docti et mutaverunt infinitivum *γιγνώσκειν* in *γιγνώσκεις* (Wilamowitz, cf. Griechische Tragödien, übersetzt von W. III, p. 205) sive in *γιγνώσκω* (Weil et Wecklein). Qua de causa histriones *γιγνώσκειν* dixerunt? Haec quaestio iis relinquenda erit, qui aliis Medeae locis medelam ferre posse sibi videntur, cui tragoediae omnino non pepercerunt histriones (cf. Wilamowitz Hermes 15, 493).

Haec habeo, quae de grammaticis veteribus histrionum licentiam observantibus disputare mihi proposui. Quae licentia nemini mira erit, qui nostris in theatris Schilleri vel Goethei dramata acta vel potius mutilata viderit, nisi forte illos histriones a nostris diversos fuisse putat. In haec vitia certe, ut diximus, iam artis criticae *ἀρχηγέται* inquisiverunt nec non secuti sunt recentiores, Apollodorus Tarsensis, Didymus, alii. Sed non solum e textibus ipsis histrionum peccata criticis innotuerunt, sed etiam ex comoedia, qua histriones saepius derisos esse testis est Aristophanes, ex rhetoribus, ex historicis Graecis, ita ut facile intellegamus veteres criticos praeiudicata ut ita dicam opinione in histriones animos advertisse. Eo magis miramur, quod non nisi in scholiis Euripideis hae histrionum castigationes servatae sunt, scholia Sophoclea et Aeschylea plane iis carent: licet scholia Sophoclea[1]) et Aeschylea paucis ad Oed. Col. exceptis omni modo decurtata sunt, tamen similes de histrionibus disputationes in his scholiis mansuras fuisse puto, si ii, ad quos referenda sunt scholiorum corpora, aeque ac interpretes Euripidis in histriones invecti essent. Patet et, ad quam confugiamus, huius rei causa: Euripides *ὁ τραγικός*, quo nomine *κατ' ἐξοχήν* appellatur, mirum in modum in deliciis posteriorum Graecorum erat; iterum iterumque eius tragoedias post mortem repetitas esse tituli clamant CIA II 972—975 (apud Ad. Wilhelm Urkunden dramatischer Aufführungen in Athen, p. 34 sqq.) alii. Neque histrionum est textibus parcere, et codices docent haud raro tragoedias Euripideas a scaenicis artificibus multis versibus a poetae consiliis alienis auctas esse. Qua re factum est, ut saepius interpretes in fabulis explicandis monerent, ne histrionum licentiae nimia fides haberetur, quorum mores in theatro observandi satis amplam habebant occasionem. At critici non re-

---

[1]) cf. Lehrs Kleine Schriften, 232.

spexerunt illud „est modus in rebus“, immo si recensionis difficultatibus adeo opprimebantur, ut nullam rationem nodi solvendi viderent, histriones quasi deos ex machina arcessitos castigabant omniaque crimini iis dabant; itaque «histrionibus eodem modo usi sunt ut nos utimur „interpolatore“» (verba sunt Bruhnii).

IV.

Monuimus iam supra (p. 28) in hypothesibus Aristophaneis vestigia peripateticae doctrinae a viris doctis inventa esse.

Sed in alia quoque re peripati studiorum reliquiae investigari possunt in scholiis Euripideis et Sophocleis, id quod hoc opusculi mei capite demonstrare mihi proposui. Satis constat a philosophis illis non tantum artem poeticam sed etiam rhetoricam tractatam esse: *ἀρχηγέτης* ipse grande opus de arte rhetorica composuit a posteris retractatum, decurtatum, exscriptum. Omnibus temporibus et Graecis et Romanis rhetoribus a c t i o summi erat momenti, cum actione aptissima et in naturali quadam facultate posita usi rhetores etiam mediocri oratione audientium animos commovere possent.

Ὑπόκρισις haec artis rhetoricae pars nominabatur a Graecis, quoniam affinitate quadam coniuncta est rhetoris actio cum corporis motibus et gestibus scaenicorum artificum. At tamen Aristotelis aetate *ὑπόκρισις* nondum inter artis rhetoricae disciplinas (*εὕρεσις, λέξις, τάξις*) recepta erat, cum Aristoteles (Rhet. III, 1) ipse exponat: *τρίτον δε τούτων, ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην οὔπω δ'ἐπικεχείρηται τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν* et paula infra: *ἐκείνη μὲν οὖν ὅταν ἔλθῃ ταὐτὸ ποιήσει τῇ ὑποκριτικῇ· ἐγκεχειρήκασι δ'ἐπὶ ὀλίγον περὶ αὐτῆς εἰπεῖν τινες, οἷον Θρασύμαχος ἐν τοῖς ἐλέοις*. Primus, qui de actione rhetoris scripsit, est Theophrastus in libro *περὶ ὑποκρίσεως* (cf. Volkmann Rhetorik der Griechen und Römer 1885, p. 29). Num igitur mirum est, quod in actione docenda rhetores histrionum in theatro mores observaverunt et in usum suum converterunt? Et profecto, quanto cum studio etiam posterioris aetatis rhetores in histriones animos adverterint gravissimo testimonio significat auctor Prolegg. Hermogenis (IV, 7 W.), qui tamen illam de histrionibus observationem ex scholiorum Euripideorum corpore desumpsisse ipse confitetur. Alterum pulcherrimum exemplum praebet Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* [ed. Radermacher Lips. 1901] § 195 (= p. 42, 24—30 R.): *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα θεωρήματα ὑποκριτικὰ οἷον καὶ ὁ παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ Ἴων ὁ τόξα ἁρπάζων καὶ τῷ κύκνῳ ἀπειλῶν τῷ ὄρνιθι, ἀπο-*

πατοῦντι κατὰ τῶν ἀγαλμάτων· καὶ γὰρ κινήσεις πολλὰς παρέχει τῷ ὑποκριτῇ ὁ ἐπὶ τὰ τόξα δρόμος· καὶ ἡ πρὸς τὸν ἀέρα ἀνάβλεψις τοῦ προσώπου διαλεγομένου τῷ κύκνῳ καὶ ἡ λοιπὴ πᾶσα διαμόρφωσις πρὸς τὸν ὑποκριτὴν πεποιημένη· ἀλλ' οὐ περὶ ὑποκρίσεως ἡμῖν τὰ νῦν ὁ λόγος.[1]) Quae Demetrii verba spectant ad Jonis canticum v. 154 sqq.

Ut auctor Prolegg. Hermog. vehementiorem actionem in illa Orestis scaena ab histrionibus postulaverat ab eo, qui Menelai partes in Oreste suscipiebat, sic hoc quoque loco Demetrius sibi animo fingit, quam vehementer hic Jonis locus histrionibus agendus sit. Num ipse id invenisse putandus est Demetrius, rhetor ignobilis alterius p. Chr. n. saeculi?[2]) Demetrio in opere suo conficiendo Theophrasti inprimis libros rhetoricos ad manus fuisse demonstravit Hugo Rabe (de Theophrasti περὶ λέξεως libris Diss. Bonn. 1890, p. 19—27). Neque nostro loco ea quae de rhetoris actione exponit Demetrius eius acumini et doctrinae tribuenda sunt. Paulo enim ante illam de Jonis actione commentationem legitur disputatio de asyndetis ad rhetoris actionem aptioribus. Rectissime Radermacher (in adnotationibus p. 105 edit.) cum hac Demetrii digressione de histrionibus facta contulit locum de subl. libri cap. XIX:

Demetr. περ. ἑρμ. § 193/94 p. 42 R.	[Longin] περ. ὕψ. cap. XIX.
ἐναγώνιος μὲν οὖν ἴσως μᾶλλον ἡ διαλελυμένη λέξις, ἡ δ' αὐτὴ καὶ ὑποκριτικὴ καλεῖται, κινεῖ γὰρ ὑπόκρισιν ἡ λύσις· γραφικὴ δὲ λέξις ἡ εὐανάγνωστος· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ συνηρτημένη καὶ οἷον ἠσφαλισμένη τοῖς συνδέσμοις· διὰ τοῦτο δὲ καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείστοις, Φιλήμονα δὲ ἀναγιγνώσκουσιν.	*τὰ γὰρ ἀλλήλων διακεκομμένα καὶ οὐδὲν ἧττον κατεσπευσμένα φέρει τῆς ἀγωνίας ἔμφασιν.*

Ut demonstret „ὅτι ὑποκριτικὸν ἡ λύσις“ Demetrius exemplum petit a tragici cuiusdam versu: „ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω, φίλε“· οὕτως γὰρ λελυμένον ἀναγκάσει καὶ τὸν μὴ θέλοντα ὑποκρίνεσθαι διὰ τὴν λύσιν· εἰ δὲ συνδήσας εἴποις· ἐδεξάμην καὶ

[1]) Hunc Demetrii locum primus Wecklein in textus editione adhibuit. Post eum O. Hense (Philologus 60 [1901], p. 384 sqq.) et Radermacher (Mus. Rhen. 57, p. 283) Demetrii verba in memoriam revocaverunt.

[2]) Demetrium inter Dionysium Halicarnassensem et Hermogenem floruisse verisimile reddit Radermacher (praef. editionis p. XIV).

ἔκτρεφω πολλὴν ἀπάθειαν τοῖς συνδέσμοις ἐμβαλεῖς· πάνυ δὲ τὸ ἀπαθὲς ἀνυπόκριτον“. Ps. Longinus ad hanc doctrinam probandam aptissimum locum Demosthenis Midianae sibi elegit, quo explanato pergit cap. 21: φέρε οὖν πρόσθες τοὺς συνδέσμους, εἰ θέλεις, ὡς ποιοῦσιν οἱ Ἰσοκράτειοι . . . . . καὶ εἴση κατὰ τὸ ἑξῆς οὕτως παραγράφων ὡς τοῦ πάθους τὸ συνδεδιωγμένον καὶ ἀποτραχυνόμενον, ἐὰν τοῖς συνδέσμοις ἐξομαλίσῃς, εἰς λειότητα ἄκεντρόν τε προσπίπτει καὶ εὐθὺς ἔσβεσται. Atque iam antea (cap. 19) ex poeta (Hom. κ 251) exemplum petivit Ps. Longinus, quo doctrina illa firmaretur. Quibus locis collatis nulla iam valet dubitatio quin, ut iam Radermacher acute vidit, et Ps. Longinus et Demetrius ex eodem vetustiore fonte hauserint. Rabe, qui Demetrio in omnibus paene Theophrasti libros rhetoricos ad manus fuisse optime invenit (p. 26 sq.), demonstrare studuit, non ipsum Demetrium ex Theophrasti operibus hausisse, sed ex peripatetici cuiusdam alterius a. Chr. n. saeculi arte rhetorica, qui tamen Theophrasti libros ad verbum exscripserat. At multo rectius ii iudicaverunt[1]), qui Demetrii paragrapho 34 nixi, Archedemum stoicum Aristotelis peripatique in rhetoricis sectatorem Demetrii fontem fuisse contenderunt. Id eo magis crediderim, quod in citato Demetrii loco meram de histrionibus digressionem legimus, quam iam dixi maioris aevi esse. Theophrastus quidem **τέχνην περὶ ὑποκρίσεως** scripsit, sed nondum actio in peripati rhetoricam disciplinam recepta erat. Id primi fecisse videntur rhetores stoici, si quidem verum tradidit Laertius Diogenes (VII, 43).[2]) Itaque me iudice Archedemus non solum Theophrasti περὶ λέξεως libris sed etiam arte περὶ ὑποκρίσεως ad opus suum conficiendum usus est, unde suum sumpsit Demetrius. Ceterum quod iam Aristoteles (Rhet. III, 2) simile aliquid ac Theophrastus de asyndetis actioni propriis tradidit et similia ad id probandum exempla conquisivit, nihil miri habet, quoniam Theophrastus, ut par erat, etiam in rhetoricis magistri numeris nisus est.

Sed sive mecum facis sive audacius, quod demonstrari nequeat, me contendere dicis, id non negabis Demetrii illam de actione disputationem ex antiquo fonte desumptam esse. Theophrastus primus περὶ ὑποκρίσεως artem composuit, et ad Theophrastum

[1]) Spengel in editione Aristot. Rhet. II, p. 396, Hammer, Berl. phil. Wochenschr. VIII (1891), p. 1221 sq. Susemihl, Bursians Jahresber. No. 75, p. 75, adn. 38.

[2]) Volkmann l. l. p. 29.

omnes, quas adhuc legimus de rhetorum et histrionum actione observationes referendas esse egoquidem persuasum habeo.[1])

Ex loco illo, quo Demetrius de Jonis actione vultuque loquitur, et ex Prolegg. Hermogenis elucet, quantopere rhetores veteres discipulis commendaverint seu compendiis seu scholis actionem vultumque. Haud raro tragoediarum locos difficiles actu una cum discipulis agendos exercuisse putandi sunt. Histrionum igitur et artis, quam Aristotelis et Theophrasti aetate floruisse scimus, saepius rhetores mentionem faciunt. Theophrasto id in usu fuisse demonstrari nequit, quoniam non nisi unum opus integrum manibus tenemus, sed Aristoteles praebet testimonium in Rhetor. III, 12[2]):

Ἀνάγκη δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας· ὅπερ ὡς προοδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι· „οὗτός ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας· οὗτος ὁ τὸν ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας“. Οἷον καὶ Φιλήμων ὁ ὑποκριτὴς ἐποίει ἔν τε τῇ Ἀναξανδρίδου Γιγαντομαχίᾳ, ὅτε λέγει Ῥαδάμανθυς καὶ Παλαμήδης, καὶ ἐν τῷ προλόγῳ τῶν Εὐσεβῶν τὸ ‚ἐγώ‘· ἐὰν γάρ τις τὰ τοιαῦτα μὴ ὑποκρίνηται, γίνεται ὁ τὴν δοκὸν φέρων. Hoc loco, cui quid addam vix habeo, aliquid firmamenti praeberi putaverim coniecturae meae.

Itaque iamiam pronuntiare audeo: omnia quae ad histrionum actionem, vultus, corporis motum spectant, ad peripateticorum et vel maxime Theophrasti studia referenda sunt. Sed priusquam scholia ipsa — sunt pauca tantum — exscribimus, ad nostram opinionem firmandam duo nova argumenta addimus haec: In omnibus enim scholiis illis postulatur, ut histronibus non tantum aliquid verbis exprimendum sed etiam corporis motu et gestibus agendum sit, ita ut eodem, quo aliquid et in scaena repraesentetur momento temporis, primum accidere videatur. Id vero optime congruit cum Aristotelis doctrina (Rhet. II, 8, 14—16):

Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη ἐλεεινά ἐστι, τὰ δὲ μυριοστὸν ἔτος γενόμενα ἢ ἐσόμενα οὔτ' ἐλπίζοντες οὔτε μεμνημένοι ἢ ὅλως οὐκ ἐλεοῦσιν ἢ οὐχ ὁμοίως, ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι καὶ φωναῖς καὶ ἐσθῆτι καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει ἐλεεινοτέρους εἶναι· ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων

[1]) Etiam Weissmann, p. 13, Theophrasti studiorum facit mentionem; sed quamquam recte exponit: „Da wir wissen, daß Theophrast sich in seinen *χαρακτῆρες* eng an die Komödie anlehnte, liegt die Vermutung nahe, daß das Drama im wesentlichen den Stoff zu seiner Arbeit lieferte“, tamen ne unum quidem argumentum addidit, quo coniecturam firmaret.

[2]) Quod Rabe l. l. 27 sq. dicit priorem partem tertii Rhetor. libri non Aristoteli sed discipulo nescio cui Aristotelis deberi, qui Aristotelis interfuerit scholis, mihi non persuasit; immo Diels (Abhandlungen der Berliner Akademie 1886) suo iure tertium Rhetor. librum vere Aristotelicum defendit.

ποιοῦντες, ἢ ὡς μέλλον ἢ ὡς γεγονός. (15) *Καὶ τὰ γεγονότα ἄρτι ἢ μέλλοντα διὰ ταχέων ἐλεεινότερα διὰ τὸ αὐτό.* (16) *Καὶ τὰ σημεῖα καὶ τὰς πράξεις, οἷον ἐσθῆτάς τε τῶν πεπονθότων καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ λόγους καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἐν τῷ πάθει ὄντων, οἷον ἤδη τελευτώντων. Καὶ μάλιστα τὸ σπουδαίους εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ὄντας ἐλεεινόν· ἅπαντα γὰρ ταῦτα διὰ τὸ ἐγγὺς φαίνεσθαι μᾶλλον ποιεῖ τὸ ἔλεον, καὶ ὡς ἀναξίου ὄντος καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς φαινομένου τοῦ πάθους.* Qua observatione iterum ducimur ad peripateticos, quibus eiusmodi scholiorum origo debetur. Digna et forma ipsa huiusmodi scholiorum, quae attendatur. Nam equidem facere non possum, quin in sollemnibus illis verbis prolatis *δεῖ τὸν ὑποκρινόμενον κτλ.* scholae doctrinam praeceptaque subodorer. Iam uno oculorum obtutu percurras quaeso quae collegimus testimonia:

1. Demetrius *περ. ἑρμ.* § 195 (p. 42 R.): *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα θεωρήματα ὑποκριτικὰ οἷον καὶ ὁ παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ Ἴων ὁ τόξα ἁρπάζων καὶ τῷ κύκνῳ ἀπειλῶν τῷ ὄρνιθι, ἀποπατοῦντι κατὰ τῶν ἀγαλμάτων· καὶ γὰρ κινήσεις πολλὰς παρέχει τῷ ὑποκριτῇ ὁ ἐπὶ τὰ τόξα δρόμος καὶ ἡ πρὸς τὸν ἀέρα ἀνάβλεψις τοῦ προσώπου διαλεγομένου τῷ κύκνῳ, καὶ ἡ λοιπὴ πᾶσα διαμόρφωσις πρὸς τὸν ὑποκριτὴν πεποιημένη.*

2. Schol. Eur. Orest 269: *ἔδει οὖν τὸν ὑποκριτὴν τόξα λαβόντα τοξεύειν· οἱ δὲ νῦν ὑποκρινόμενοι τὸν ἥρωα αἰτοῦσι μὲν τὰ τόξα μὴ δεχόμενοι δὲ σχηματίζονται τοξεύειν.*

3. Schol. Eur. Hipp. 215: *ἐνταῦθα δὲ δεῖ τὸν ὑποκρινόμενον κινῆσαι ἑαυτὸν καὶ σχήματι καὶ φωνῇ καὶ ἐν τῷ εἶμι πρὸς ὕλην ἀναπηδᾶν, ὡς αὐτῆς πορευομένης.*

4. Schol. Soph. El. 827/9: *δεῖ δὲ τὸν ὑποκριτὴν ἅμα τῇ βοῇ ἀναβλέψαι τε εἰς οὐρανὸν καὶ τὰς χεῖρας ἀνατεῖναι ὃ δὴ κωλύει ὁ χορός: μηδὲν μέγ' ἀύρης.*[1])

5. Schol. Arist. Nub. 60: *οὐ μὴ συναπτέον πάντα τὸν στίχον ἀλλ' ἀναγνωστέον μέχρι τοῦ υἱὸς εἶτα διαστήσαντα χρὴ μεθ' ὑποκρίσεως ἐπάγειν οὑτοσὶ ἀχθομένου αὐτοῦ τῇ γενήσει.*

Haec quae exscripsimus scholia inter veteres scholiorum partes numeranda sunt iis temporibus orta, cum non solum inmunerabiles novae fabulae scaenae committebantur, sed etiam veteribus inprimis

[1]) Weissmann hod scholion falso ad Electrae vocem *φεῦ* (829) relatum esse putat ab eo grammatico, qui idcirco verba addidisset *ὃ δὴ κωλύει* qu. sqq. Intellegere non possum, quo iure Weissmann scholion ad chori verba (825) spectare opinetur, cum clare dicat scholiasta: *δεῖ τὸν ὑποκριτὴν ἅμα τῇ βοῇ* (id est una cum voce *φεῦ*). Recte interpretatus est Kaibel in Electrae commentario, p. 201 sq.

Euripideis fabulis locus primarius erat in certaminibus scaenicis. Tum rhetores peripatetici observabant, qua ratione fabulae ab histrionibus agerentur vel corrumperentur male agendo neque raro iis notam inurebant.

Tales observationes in studiis rhetoricis utilissimae ab iis, qui post Alexandrinos poetis explicandis operam dederunt, grammaticis adhibitae sunt, quamquam in poetarum verbis recte intellegendis plane iis poterat careri. Talia peripateticorum praecepta, quibus interdum histriones castigati sunt, gratissima erant Appollodoro Tarsensi, Didymo aliisque, qui, ut supra vidimus, ipsi histriones castigare non veriti sunt, quodsi in interpretationis augustiis haerentes egredi vel suis ineptis coniecturis fidem tribuere volebant. Sed tamen altera restat causa, qua commoti posteriores peripateticorum rhetorica praecepta in usum suum converterunt in eo posita, quod veteres interpretes quam diligentissime scaenica praescripta e poetae verbis concludere et depromere semper studebant. Huic consilio adnotationes debentur, quas interpretatione ortas esse primo obtutu vides, exempli causa schol. Oed. R. 41: *ἴσως δὲ τοῦτο εἰπὼν ὁ ὑποκριτὴς προσπίπτει εἰς τοὺς πόδας τοῦ ἄρχοντος* vel schol. Oed. R. 1297: *ἴσως οἱ κατὰ τὸν χορὸν ἰδόντες ἀπεστράφησαν μὴ δυνάμενοι θεάσασθαι τὸ πάθος.* Videlicet etiam ea, quae de flebilibus histrionum vocibus proferuntur, interpretatione conclusa sunt, ut ipse ait schol. Or. 167: *τινὲς δέ φασιν ὅτι φωνῇ ἐχρήσατο θρηνώδει ὁ χορὸς γραφῆναι μὴ δυναμένῃ ἰυγμῷ ἢ καὶ ἰυγμοῦ τραχυτέρᾳ ὅπερ εἰώθασι ποιεῖν αἱ γυναῖκες ἐπὶ τοῖς ὑπερβάλλουσι κακοῖς· ἃ γὰρ μὴ δύναται γράφεσθαι, ταῦτα δι' ἑτέρων προσώπων δηλοῦται, οἷόν τι καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ οἰκέτου στενάξαντος ἕτερός φησιν· ἀκούεις ὡς στένει.*

Itaque saepius adnotant scholiastae ea verba, quibus poeta quasi scaenicum praeceptum in usum histrionum dedit sive corporis motum sive vocem respiciens. Utriusque rei unum ascribam exemplum:

Schol. Aesch. Choeph. 45: *δεῖ νοεῖν ὅτι „τὸ δύσθεος γυνὰ“ ἠρέμα πῶς ἐφθέγξατο· διό φησιν, φοβοῦμαι γὰρ ἔπος τόδ' ἐκβάλλειν.*[1])

In Oreste Eur. dicit Orestes (v. 632): *Μενέλαε ποῖ σὸν πόδ' ἐπὶ συννοίᾳ κυκλεῖς; διπλῆς μερίμνης διπτύχους ἰὼν ὁδούς;* schol.: *ὡς τῷ ποδὶ τὸ ἔδαφος περιγράφοντος αὐτοῦ καὶ διστακτικῶς ἀναλογιζομένου εἰ δέοι βοηθεῖν, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ ἀμηχανοῦντες ἐν πράγματι.*

---

[1]) Alia exempla accumulavit Weissmann, p. 14—18.

Apparet talibus adnotationibus nihil novi nobis narrari, cum ex eodem fonte haustae sint, unde nos hodie quoque haurimus et unde omnibus qui legent fabulas hauriendum est: ex poetae verbis. Attamen non omittendas eas esse putavi, cum id, quod iam saepius diximus, iis quoque scholiis optime illustretur: veteres interpretes in fabulis explicandis quam acerrime extricare studebant, quomodo fabula olim, cum florebant scaenica certamina, in theatro docta esset.

Una restat quaestio, utrum rhetoricae peripateticorum observationes, de quibus supra egimus, per veteres Alexandrinos in scholiorum corpus pervenerint an auctori cuidam, qui inter Didymum Alexandrinosque floruit, debeantur. Alexandrinos inprimis Aristarchum in Homero interpretando rhetoricas observationes non plane repudiasse demonstravit Georgius Lehnert.[1]) Sed ut in scholiis Homericis „pleraque scholiorum rhetoricorum tam diversa colore ac indole sunt, ut eorum auctores Alexandrini omnino esse non possint“, sic in scholiis Euripideis artis rhetoricae reliquiae — neque exiguae sunt — post aetatem Alexandrinam ortae videntur. At difficilior est quaestio quam quae paucis absolvi possit. Itaque disputationi nostrae, cui materia erat a grammaticorum studiis scaenicis, finem faciamus.

---

[1]) De scholiis ad Homerum rhetoricis Diss. Lips. 1896, p. 96—97.

Vita.

Natus sum Guilelmus Malzan Darmstadtiae die decimo mensis Decembris anno MDCCCLXXXIII patre Petro, qui mihi praematura morte ereptus est, matre Maria e gente Weigel. Puerili institutione imbutus gymnasium patriae urbis adii usque ad classem tertiam, deinde inter gymnasii Gissensis discipulos receptus sum. Verno a. MCMII tempore universitatis Gissensis subii disciplinam, qua per octo semestria fructus sum. Docuerunt me viri doctissimi:

Behaghel, Bethe, Dieterich, Groos, Gundermann, Messer, Sauer, Siebeck, Wuensch.

Inter philologici seminarii sodales ut reciperer, cuius fui sodalis ordinarius per quattuor semestria, per duo senior, Bethii et Wuenschii beneficio factum est. His omnibus viris gratias ago quam maximas, inprimis vero Bethio, qui cum alibi optime de me meritus est tum in hoc conficiendo opusculo me et auxilio et consilio adiuvit, semper grato animo recolam pulchrum *μνημόσυνον*.